

Si Saturnus fuerit in opposito partis fratrum, uel in opposito domini tertie, uel fuerit iunctus ambobus, aut uni eorum, uel ambo, aut unus eorum fuerit in tertia domo, maxime si Mars illuc aspexerit, & fuerit tardi cursus, fratres nati interficiet eum, & habebunt damna multa.

Conuenientia fratrum erga natum, scitur ex fœlici aspectu Domini tertiae ad dominum Ascendentis, aut ex aspectu domini partis fratrum ad ipsam partem.

Mercurius iunctus Marti, uel ei oppositus, facit discordiam inter fratres.

Si Dominus triplicitatis ascendentis fortior est domino Triplicitatis dominus tertiae, natus erit dignior fratribus suis.

Quod est inter medium cœli & ascendens, significat fratres maiores, & quod est, inter ascendens, & angulum terræ, fratres minores.

Si Luna fuerit domina ascendentis, aut pars fortunæ in tertia aucta lumine, fortunata, natus erit religiosus obseruator legis, lucrabitur ex rebus spiritualibus.

Dominus triplicitatis ascendentis primus in duodecima uel undecima si non sit fortuna, & fuerit aliquis planeta in his dominibus, qui sit fortuna, significat eum habere fratres uiuos. Et si fuerint mali, significat eum habuisse, sed esse mortuos.

Separatio Lunæ à Sole uel Sarurno, denotat natum non esse primogenitum patris sui. Si uero separatur à Ioue, Marte, Mercurio, uel Venere, significat eum non habere fratrem, qui sit se maior. Et si fuerit cursu uacua, significat malum esse fratrum maiorum. Et si separatur à malis, celeriter morientur priores fratres, uel eorum destructionem significat.

Si Luna separatur à planeta existente in domo uel exaltatione sua, fratres maiores bene habebunt. Si Luna applicat planetæ in domo uel exaltatione sua existenti, natus habebit dignitatem, & fratres eius qui post eum uenient.

Si fuerit in tertia domo Leo, & Sol combusserit dominum secundæ, significat natum causa suorum fratrum diuitias amissurum. Idem dic si dominum partis fortunæ combusserit.

Si dominus ascendentis, non aspexerit dominum tertiae, fratres qui post eum nascentur, fugient à conspectu ipsius, & erunt suis damno, & sibi.

Tertiæ dominus si supra terram infortunatur, maioribus fratribus impedimenta decernit. Si uero sub terra, his qui post eum nascentur.

Dominus tertiae in prima, primum esse interficiendum, uel solum superstitem fore significat. Si in tertia sit signum commune, denotat natum alios habiturum fratres, & forte ex alia matre.

Mars in die in ascendentे, uel in quarta, aut Saturnus in nocte, facit natum humanum, erga consanguineos suos.

Quando signa tertiae & octauæ domorum fuerint unius planetæ, nati fratres ipso uidente é uita descendent.

Venus prima domina triplicitatis tertiae retrograda & mali esse, significat paucitatem fratrum, & discordiam inter illos.

Dominus secundæ in secunda, si eum dominus tertiae uiderit, natus à fratribus angustias habebit, aut propter eos.

Cancer uel Capricornus ascendens, significat fratres inimicos esse nato, uel litigaturum cum fratribus, & tamen peruenient fratres eius ad potentiam.

Aries uel Libra ascendens, denotant quod fratres eum aduersis prosequentur odijs, uel erunt in uili statu.

Virgo uel Pisces ascendens, significant quod fratres nati erunt causa suarum ægritudinum, uiuetq; diutius illis.

Leo uel Aquarius ascendens denotat quod fratres nati morientur, uel habebunt inter se mutuas simultates ac dissensiones.